

The Electronic Manipulus florum  
www.manipulusflorum.com

Tribulatio g  
cum fonte primo

Sicut sub eodem igne aurum  
rutilat et palea fumat et sub eadem  
tribula stipulae comminuuntur et frumenta  
purgantur  
et uno motu exagitur fenum ←  
et suauiter fragrat unguentum,  
ita una uis irruens  
bonos probat,  
purgat et eligit;  
malos reprobat, exterminat et adnichilat.

Augustinus super Psalmos.

Nam  
sicut sub uno igne aurum  
rutilat palea fumat, et sub eadem  
tribula stipulae comminuuntur frumenta  
purgantur,  
nec ideo cum oleo amurca confunditur,  
quia eodem preli pondere exprimitur:  
ita una eademque uis irruens  
bonos probat  
purificat eliquat,  
malos damnat uastat exterminat.  
Vnde in eadem adflictione mali Deum  
detestantur atque blasphemant, boni  
autem precantur et laudant. Tantum  
interest, non qualia, sed qualis quisque  
patiatur. Nam pari  
→ motu exagitur  
et exhalat horribiliter caenum  
et suauiter fragrat unguentum.

Augustinus Hipponensis, *De ciuitate  
Dei*, 1, 8 (CCSL 47, B. Dombart ed., p.8,  
ll.38-47).